

pal., *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 19; Rebell., lib. iv *De matrim.*, quæst. 6, sect. 5; Engel, lib. iv *Decret.*, tit. 1, num. 8; Pirrhing, *ibid.*, num. 57; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 236; Perez, d. 9, sect. 6; La Croix, lib. vi, part. iv, num. 196 et 200, cum Palud., Krim., et aliis ibi citatis, et plurimi alii, quotquot docent, non posse licite suscipi sacros ordines post contracta valida sponsalia, probabilius docent, per votum suscipiendi sacros ordines non dirimi sponsalia ex parte sponsi voventis; et ratio patet per dicta *supra* num. 86, ubi enervatur etiam illa prætensa ab adversariis tacita conditio seu exceptio imbibita sponsalibus; tum quia hoc ipso, quod sponsus in casu non possit licite suscipere sacros ordines, nec licite, nec valide potest emitteere votum illos suscipiendi, cum votum de re illicita, nec licitum, nec validum sit, arg. cap. *Quando* 18, De jurejur.

(93. Per tale autem votum solvi sponsalia ex parte sponsæ tenent Sanchez, *loc. cit.*, num. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 235, et alii passim doctores utriusque adductæ sententiæ; et ratio patet ex dictis *supra* num. 83 et 87. Quamvis enim tale votum sit nullum, ipse tamen sponsus, quantum est in se, revera intendit, et vult assumere statum cum matrimonio impossibilem, adeoque censetur renuntiare sponsalibus, et juri sibi ex ipsis acquisito, ita ut sponsa, cognito tali voto, possit prohibito, cui voluerit, nubere, cap. *Veniens* 5, Qui clerici vel voventes; vel ita nulliter voventem ad sibi nubendum per viam juris cogere.

(94. Quoad votum simplex perpetuæ continentiæ idem dicendum est, ac de voto suscipiendi sacros ordines, quod videlicet non dissolvat sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. Sic Barbosa in cap. *Veniens* 5, Qui clerici vel voventes, num. 2; Abbas, *ibid.*, num. 2; J. Andreas, num. 3, et canonistæ communiter, ac omnes supracitati doctores, et alii arg. cit. cap. *Veniens* 5, Qui clerici vel voventes; et ratio est eadem, quæ num. 88 et 89 est adducta de voto suscipiendi sacros ordines.

(95. Septimo, dissolvuntur sponsalia per matrimonium valide postea, licet illicite, contractum cum alia persona. *Communis*, per textum in c. *Sicut* 23, c. *Si inter* 31, De sponsalibus, et c. *Duobus modis* 1, De sponsa duorum. Quamvis enim, qui jam valide contraxit sponsalia cum una persona, illicite postea contrahat matrimonium cum alia, nihilominus tale matrimonium valet, et sponsalia solvit, etiamsi priora sponsalia fuerint juramento firmata, textu expresso in cit. cap. *Si inter*, ibi: « Sive sit juramentum interpositum, sive non, » cum similibus.

(96. An autem per tale matrimonium cum alia initum dissolvantur in perpetuum priora sponsalia, ita ut, quamvis hæc uxor moriatur, aut profiteatur in religione, sponsus non amplius teneatur ducere primam sponsam, et econtra? variant doctores: Paludanus enim, Gabriel, Henricus, Bonac., Becanus,

Filiuc., Villalob., Lessius, Laym. Sanch., lib. 1, disp. 48; apud La Croix, lib. vi, part. iii, n. 201; Tannerus, tom. II, disp. 1, dub. 4, num. 56 et 57; Dicastill., disp. 1, dub. 37; Pirrhing, lib. iv *Decretal.*, tit. 1, num. 59; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 243, et alii affirmativam sententiam tuentur, et dicunt id satis colligi ex cit. cap. *Si inter* 31, De sponsalibus, cap. *Duobus modis* 1, De sponsa duorum et can. ult. caus. 27, quæst. 2, ex quibus constat, quod sponsalia per matrimonium cum alia contractum solvuntur, adeoque omnino extinguuntur et non tantum suspenduntur; obligatio autem semel extincta non amplius reviviscit; can. *Queris* 129, dist. 4, De consecrat., l. *Qui res* 98, § 8, De solutionibus, ibi: « In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest; » tum quia superveniens fortior et major obligatio matrimonii videtur exstinxisse totaliter debiliorem et minorem obligationem priorum sponsalium, sicuti votum strictioris religionis extinguitur per professionem seculam in religione laxiore, textu expresso in cap. *Qui post votum* 5, De regularibus, in 6.

(97. Negativam autem, nempe non penitus per dictum matrimonium extinctam esse obligationem priorum sponsalium quoad sponsum, qui primam fidem violavit, sed solum suspensam fuisse, ita ut, remanente libero, teneatur priora sponsalia adimplere ducendo primam sponsam, si ipsa velit, defendunt probabilius Adrian., Ledesma., Hurtad., Vega, Pontius, Aversa, Mastrius, Castropal, Krimer, Kugler, et alii citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, num. 201; Coninch, disp. 23, dub. 4, cum pluribus ibi allegatis; Herinex, disp. 4, num. 42; Tambur., cap. 5, § 5, num. 3; Silvius, in *Supplem. S. Thomæ*, q. 43, art. 3; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 18; Sporer, *loc. cit.*, De sponsalibus, num. 263, et alii plures, arg. cap. *Quidem* 3, De conversione conjugatorum, ubi statuitur, quod qui invita uxore professionem in religione emisit, et ob id postea de jure uxori restituitur, si talis uxor præmoriatur, non possit aliam uxorem ducere, sed teneatur votum continentæ observare, cum vivente uxore fuerit quidem tale votum ex parte suspensum, sed non totaliter extinctum. Et ratio est, quia licet verum sit secundum allegata jura ab adversariis, quod obligatio semel extincta non amplius reviviscat, tamen ex nullo jure constat obligationem illam priorum sponsalium omnino extinctam esse, cum cit. c. *Sicut* 22, c. *Si inter* 31, De sponsalibus, c. *Duobus modis* 1, De sponsa duorum, et c. ult. caus. 27, q. 2, ut legenti patet, non definiat an talis obligatio omnino extinguatur, vel solum interea suspendatur.

(98. Nec valet pariâs adducta de voto strictioris religionis extincto penitus per professionem seculam in religione laxiore, quia in tantum id evenit, quia professio est vinculum et impedimentum ex se perpetuum, quod sola morte tollitur. Vinculum autem seu impedimentum matrimonii non est perpetuum, sed tantum durans ad vitam conjugis nec aliter potens dissolvere priora

sponsalia, quam quatenus cum illis erat incompatibile, qua proinde incompatibilitate sublata per mortem conjugis, omnino reviviscet prius vinculum et obligatio: sicuti si quis post votum simplex castitatis emissum matrimonium contraxit, post mortem conjugis statim votum integre reviviscit, cum tale votum pro tempore, quo duravit illud matrimonium, fuerit quidem suspensum, at non omnino extinctum. Tum quia non potest dici, quod sponsus per tale matrimonium illicite cum alia contractum post priora valida sponsalia, sit constitutus in meliori conditione, quam antea; quia, ut expresse dicitur in l. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De regul. jur.*: « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. » Ne, ut habetur expresse in c. *Intelleximus* 7, De judiciis: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare: » adeoque sicuti ante tale illicitum matrimonium stricte obligatus erat dictis prioribus sponsalibus, ita etiam post solutum tale matrimonium per mortem conjugis, iisdem ligatur, teneturque ducere primam sponsam, si ipsa velit, cum illa per tale matrimonium remanserit penitus libera a dictis sponsalibus, ut omnes concedunt: nam rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso in cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus, et « peccata suos debent tenere auctores, » l. *Sancimus* 22, cod. *De penis*, c. *Quæsit* 2, De his quæ fiunt a majori parte capituli; nec debet aliquis alterius odio prægravari textu expresso in l. *Non debet* 74, ff. *De reg. jur.*, c. *Non debet* 22, De reg. jur. in 6.

(99. Sponsalia priora legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora cum alia persona celebrata, etiamsi hæc posteriora sint juramento firmata. Unde standum est priori sponsæ, seu sponso, si ipsa seu ipse velit. *Communis*, arg. c. *Sicut* 21, De sponsalibus, et c. unic. *De sponsalibus*, in 6. Et ratio est, quia quod uni jam promissum est, ac vi promissi jure debetur, non potest amplius alteri promitti; et si talis promissio alteri fiat, nihil valet, quamvis juramento firmetur, quia cum tale juramentum, utpote in præjudicium tertii, sit illicitum, nullimode obligat, textu expresso in c. *Non est obligatorium* 18, De reg. jur. in 6, ibi: « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » Cum juramentum non sit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, c. *Quanto* 38, De jurejurando, ibi: « Cum juramentum, non ut esset ini-

(69) Si quis, vel quæ, cum duabus aut duobus sponsalia de futuro contrahit, nec copulam habuit cum secunda sponsa, irrita et nulla sunt sponsalia posteriora, etiamsi juramento sint firmata; consequenter adherere tenetur priori sponsæ, si hæc velit. Sanchez, *De matrim.*, lib. 1 *De sponsal.*, disput. 50 eoque teste, unanimes et certa aliorum ratio est; quia quod uni jam promissum est, ac vi promissi jure debetur, alteri promitti amplius non potest.

Nec obstat, quod secunda sponsalia quis firmet juramento; quia cum tale juramentum sit in præjudicium tertii, illicitum et vinculum iniquitatis est, ac propterea obligatorium non censetur. Reiffen-

stuel, ad tit. *De spons. duor.*, num. 5. Amplius, etsi posterioribus sponsalibus accedat copula, aut etiam imprægnatio, nulla hæc sunt et irrita, quando pariter cum prima sponsa copula habita fuit, aut posterior sponsa conscia fuit sponsalium ab ipso sponso cum alia ante initorum. *Communis*, et certa. Ratio primæ partis est, quia si cum prima quoque sponsa copula intercessit, ejus, utpote prioris, jus est potius et majus. Reiffenstuel, *ibid.*, n. 6. Schmalzgrueber, ad cit. tit. *De spons. duor.*, n. 43.

(100. Priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus accesserit copula, si secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium. *Communis*. Et ratio est, quia cum ipsa secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium, fit eo ipso particeps delicti iniquæ promissionis, adeoque contra jus prioris sponsæ nihil prætereendere potest, quia nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest, ut expresse dicitur in l. *Non fraudantur* 134, § *De reg. jur.* Ne, ut dicitur in c. *Intelleximus* 7, De judiciis: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare. »

(101. Imo priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, et pars illa, cum qua posteriora sponsalia fuerunt contracta, ignara fuerit priorum sponsalium, et consequenter fuerit decepta, unde adhuc subsistunt sponsalia priora, et nulla sunt posteriora; arg. l. *Non dubium* 5, vers. *Sed et si*, cod. *De legibus*, et c. *Illud* 8, De jurepatron., sic Sanch., l. 1 *De sponsal.*, disp. 49, num. 5; Guttier., *De matrim.*, c. 27, num. 7 in fine; Henricus, lib. xi, *De matrim.*, cap. 13, num. 3; Reiffenst., *loco cit.*, num. 7, et alii contra alios: et ratio nostra est, quia per injuriam posteriori illatam non debet, nec potest auferri jus suum priori, cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non debeat, cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus, nec debeat aliquis alterius odio prægravari, leg. *Non debet* 74, ff. *De regulis juris*, cap. *Non debet* 22, De regulis juris in 6. Tum quia maxima sic aperitur via dolis et fraudibus, cum quivis ad se liberandum a propria sponsa, et cum alia conjungendum, posset quoties vellet, alteri spondere, et cum ipsa copulam habere, non sine ingenti animarum periculo et gravi reipublicæ detrimento, contra omnia jura clamantia, quod non debeat aperiri via malitiis, et fraus et dolus nemini debeant patrocinium impertiri. L. *Cum hi*, ff. *De transactionibus*, l. *Legatarius*, cod. *De legatis*, cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia, c. *Sedes* 15, c. *Ex tenore* 16, De rescriptis, et c. *Tua* 12, De clericis non resid., cum similibus (69).

(102. Octavo, sponsalia dissolvuntur ex

stuel, ad tit. *De spons. duor.*, num. 5. Amplius, etsi posterioribus sponsalibus accedat copula, aut etiam imprægnatio, nulla hæc sunt et irrita, quando pariter cum prima sponsa copula habita fuit, aut posterior sponsa conscia fuit sponsalium ab ipso sponso cum alia ante initorum. *Communis*, et certa. Ratio primæ partis est, quia si cum prima quoque sponsa copula intercessit, ejus, utpote prioris, jus est potius et majus. Reiffenstuel, *ibid.*, n. 6. Schmalzgrueber, ad cit. tit. *De spons. duor.*, n. 43.

Ratio secundæ partis est, quia, si ea pars, cum qua contracta sunt posteriora sponsalia, conscia

parte innocentis, non vero nocentis, per fornicationem, sive a sponso sive a sponsa post sponsalia commissam. *Communis*. Et quidem quod solvantur ex parte innocentis, expresse deciditur c. *Quemadmodum* 25, De jurejurando; et quod non solvantur ex parte nocentis, caret omni dubio, quia, ut expresse dicitur in l. *Non fraudantur* 134, § 1. ff. *De regulis juris*, nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest. *Ne*, ut habetur in cap. *Intelleximus* 7, De judiciis: « Ne videatur de malitia sua commodum reportare. » Peccata enim suos debent tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cap. *De pœnis*, cap. *Quæsit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli. Unde pars nocens compelli potest ad nuptias, si pars innocens

fuit priorum sponsalium, jam hoc ipso particeps fuit delicti iniquæ promissionis, ac nullitatis ejusdem; consequenter contra jus prioris sponsæ prætereundum nihil potest, Reiffenst., l. et n. cit.

Dubium procedit solum casu quo prioribus sponsalibus carnale commercium non accessit, accessit autem secundis, et sponsa hæc altera sponsalium prius initorum fuit ignara. Major, in 4 dist. 27, q. 5; Coninch., dub. 28, *De sacram.*, dub. 4, concl., n. 54; Rebell., lib. iv *De obligat. just.*, q. 8, sect. 8, n. 56; Pont., lib. xii, cap. 14, n. 4; Palao, tract. 28, d. 4, part. xxii, n. 6; Honor., tit. *De spons.*, n. 15, existimant eo casu sponsalia priora utrinque solvi, et posteriora adimpleri debere. Fundantur, quia per copulam fit anticipata quædam traditio corporis, quæ cum ante Tridentinum habuerit vim inducendi matrimonium, c. *Veniens* 15, et c. *Is qui fidem* 50, De spons., hodie saltem inducet sponsalia cum posteriore; et quæ cum alia persona prius inita sunt, dissolvit: arg. l. *Quoties*, cod. *De rei vindic.*, ex cuius dispositione, si res, quæ uni est vendita, alteri postea vendatur iterum, et tradatur, licet primo facta sit injuria, venditio tamen secunda tenet. 2. Cum duo inter se certant, unus de lucro captando, alter de damno vitando, huic potius favendum est, quam illi: atqui in proposito casu secunda sponsa certat de damno vitando, prima solum de lucro captando: ergo secundæ favendum est præ prima. 3. Qui post votum religionis vel castitatis emissum corrumpit virginem, tenetur eandem ducere, non obstante voto prius emisso; ergo etiam in proposito casu tenebitur ducere secundam, si eam corruperit, non obstantibus sponsalibus cum prima. Atque hæc sunt rationum momenta a cit. scriptoribus allata ad rem, de qua sermo est. Imo Malaguzzi, in *Manual. paroch.* tom. I, part. v, colloq. 7, vers. *Dixisti, effectus inter sponsalium*, etc., hanc sententiam omnino tenendam asserit per hæc verba: *Discip.* « Mihi oritur dubium, an si quis videlicet post fidem futuri matrimonii datam uni, copulam habeat cum alia, spe matrimonii atque actuali ejusdem sponsione allecta, teneatur primam, num vero secundam ducere in uxorem? *Magist.* Tantum abest, ejusmodi sponsum teneri a prima sponsione, quinimo hæc rescissa statim evadit, et secundam ducere debet in uxorem. Enimvero obligatio ineundi connubium cum ista ignorante priora sponsalia, oritur ex contractu oneroso, ratione videlicet usus corporis sui permissi sub tali conditione, quod scilicet in uxorem assumet; ubi prior sponsio est omnino libera, atque gratuita, uti asserit Castropal., p. xxii, n. 26; Rebell., lib. iv *De oblig. just.*, q. 8, sect. 8, n. 56, et alii. »

Maschat, quamvis opinioni Lucii nostri faveat, limitat tamen sententiam suam hoc sane modo: « Excipe locum (sic ille), ubi Tridentinum non vi-

velit, quia, ut expresse dicitur in cap. *Quod ob gratiam* 61, De regul. jur. in 6: « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum; » et concordat l. *Quod favore* 6, cod. *De legibus*; cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus. Nec debeat aliquis alterius odio prægravari; l. *Non debet* 74, ff. *De regul. juris*; et cap. *Non debet* 23, De regulis juris in 6, et, ut dictum est, peccata suos debent tenere auctores, cit. l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæsit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli.

(103. Sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis, per fornicationem etiam ante sponsalia commissam, ab

get: ibi enim si copula facta est affectu maritali, sponsalia secunda transeunt in matrimonium, » ad tit. *De spons. duor.*, n. 3.

Addit insuper, *ibid.*: « In illo casu quo sponsa secunda deflorata, ignara priorum sponsalium, patetur damnum aliter non reparabile, nisi per matrimonium, sponsa prior, saltem ex charitate, teneatur remittere jus suum, ut docet Sanchez; ad id tamen in rigore ab episcopo cogi non posset; quia non apparet jus aliquod, ratione cuius cogatur aliquis cedere jure suo, ut proximus a gravi damno liberetur. In praxi parochus, vel episcopus suadere potest amicabilem compositionem, si hæc sit possibilis. »

Verum Sanchez, ubi ob damnum secundæ sponsæ defloratæ obventum, priora sponsalia cedere posterioribus astruit, id etiam tenet, nempe judicis officium sese exserere in hoc casu posse. In integer locus Sanchezii: « Ex quadam tamen æquitate aliquando servanda esset prior opinio (* quæ nempe favet posterioribus sponsalibus, secunda copula*), quando deflorata grave damnum pateretur, magnamque honoris jacturam, prior vero leviter læderetur: nam tenetur modicum illud damnum sustinere, ad vitandum proximi malum. Sic Ludov. Lopez... ait posse in hoc casu judicem damnare ut secundam ducat. » *De matrim.*, lib. i, disp. 49, n. 6. Hæcque Sanchezii doctrina congruentior sane, quam illa Maschatii aliorumque esse videtur.

Doctissimus Clericatus, proposito dubio, ut supra nec pro affirmante, nec pro negante opinione se pronuntiat, dicens: « Circa quod duæ sunt opiniones. Una negat, asserens per hanc copulam nihil esse derogatum obligationi priorum sponsalium; et sponsum, non obstante carnali copula habita cum secunda, teneri ducere primam; nam non potuit derogari primæ obligationi: et licet secunda patiatur damnum in fama ob copulam, resarcienda est per dotem, aut alio opportuno remedio. »

« Altera (opinio) affirmat, priora sponsalia solvi ad effectum, ut sponsus possit cum secunda carnaliter cognita matrimonium contrahere. » Et post allatas rationes, et auctoritates a nobis hic supra adductas, nempe Pontii, Rebell., Coninch., Pal., quibus addit Leandr., Mastr. et Salmanticenses, concludit per hæc verba: « Ex quorum DD. sententia deducitur, hæc secunda sponsalia cum copula producere etiam impedimentum publicæ honestatis. » *De sacram. matrim.*, decis. 17, n. 25.

Ex hæcenus dictis, illud concludi posse videtur, negantem sententiam magis fortasse juri esse consentaneam; at affirmantem benignæ cuidam æquitati plus esse conformem, atque in praxi, pensatis circumstantiis, applicabiliorem. *Editores Casim.*

innocente tamen ignoratam. In jure enim paria sunt aliquid supervenire et prætereundum ignoranter. Res enim dicitur fieri, quando innotescit. Cap. *Pastoralis* 4, De exceptionibus. Item paria sunt in jure non esse, et non apparere; leg. *Duo sunt* 30, ff. *De testamentaria tutela*; leg. *In lege* 77, ff. *De contrahend. emptione*; adeoque a sensu contrario paria sunt esse et apparere; tum quia præcedens nocentis fornicatio ante sponsalia commissam, ignorata, et post illa primum cognita ab innocente, causat notabilem mutationem ex parte ipsius nocentis, adeoque sufficit ad dissolvenda sponsalia, arg. cap. *Quemadmodum* 23, De jurejurando; Sanchez, lib. i, disp. 63, n. 3; Pirrhing, loco cit., num. 62; Reiffenstuel, loco cit., num. 256, et alii plures ibi allegati. « Qui tamen id tenent solum de fornicatione sponsæ, et non sponsi. »

(104. Nec obstat, quod in cit. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, expresse dicitur: « Si quis juraverit, se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illum non ducat in conjugem. » Non obstat, inquam, quia talis textus est intelligendus de fornicatione præcedente a sponso prius jam cognita, quia ex quo probavit scienter et voluntarie mores illius, censetur cessisse juri suo, et consequenter non potest amplius illos reprobare, nisi nova superveniente causa. Arg. can. *Horrendus* 17, caus. 32, q. 5: sic Glossa, in cit. cap. *Quemadmodum*, verb. *Præcedentem*, et doctores citati.

(105. Ob fornicationem sponsæ, sive præcedentem, sive subsequentem sponsalia, potest sponsus ipsa sponsalia dissolvere, etiamsi sponsa fuerit vi oppressa. Sic Pirrhing, l. cit., n. 61; Reiff., l. c., n. 252; Sanchez, l. i, disp. 55, n. 7; Silvester, verb. *Sponsalia*, quæst. 10, caus. 7; Navarrus, c. 22, n. 27; Layman, l. c., n. 11; Sporer, l. c., n. 272; La Croix, lib. vi, p. ii, n. 161, et alii passim; arg. cap. *Raptor*, 33, caus. 27, quæst. 2, et ibi Glossa, verb. *Noluerit*; et ratio est, quia etiam per talem fornicationem sponsæ fit notabilis mutatio ex parte ipsius, cum reddatur notabiliter vilior et censeatur viro infame talem ducere, præsertim quia exponeretur periculo habendi alienam prolem pro sua.

(106. Item sponsus sponsalia dissolvere potest etiam ob oscula, amplexus aut tactus impudicos a sponsa libere et voluntarie admissos vel exercitos: Pirrhing, loco cit., num. 61; Reiffenstuel, loco cit., n. 233; Sporer, loco cit., n. 273; Layman, loco cit., n. 11; Sanchez, loco cit., disp. 55, n. 5, et alii; et ratio est, quia talis sponsa censetur impudice vivere: unde merito sponsus eam horrere potest, cum non possit eam sine gravi nota ducere.

(107. An autem si uterque sponsus fornicationem commiserit, seu similia oscula similesque amplexus, aut tactus impudicos voluntarie admiserit vel exercuerit, et in omnibus casibus supradictis, in quibus li-

cet sponsalia dissolvere, liceat etiam sponsæ? variant doctores. Affirmativam enim sententiam docent Castropal., Aversa, Krimmer, Kugler citati et secuti a La Croix, lib. iii, num. 162, dicendo, quod uterque possit a sponsalibus resilire, quia uterque violat fidem, et sic uterque dat alteri jus resilienti, cum quoad hæc pares debeant esse sponsus et sponsa; quamobrem in corporum conjunctione vir et mulier ad paria judicantur, ut notat Abbas, in cit. cap. *Quemadmodum*, § *Illud*, n. 4. Et quod in pari casu fornicationis et similis violatæ fidei neuter resilire a sponsalibus possit, tenent etiam Bonacina, qu. 1, punct. 8; Paludanus, in 4, dist. 27, qu. 1, art. 3, n. 17; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 45, et alii, quia delictum unius compensatur per delictum alterius, cap. *Intelleximus* 6, De adulteriis et stupro, ibi: « Cum... paria delicta mutua compensatione tollantur; » et concordat cap. *Frustra* 75, De regul. juris in 6, ibi: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. » Nec refert quod delictum sponsæ censeatur gravius delicto sponsi, quia adulterium uxoris etiam censetur gravius; et tamen si tam vir quam uxor adulteraverint, delicta mutua compensatione tolluntur, et non fit divortium, cum maritus æque adulter ac uxor nullum potius jus ad id habeat, cit. cap. *Intelleximus* 6, De adulteriis et stupro, addita ratione: « Cum matrimonii jus in utroque læsum consistat, et paria delicta mutua compensatione tollantur; » juncto ejus Summario sic expresse dicente: « Conjux conjugem de adulterio impetere non potest, si et ipse adulterium commisisse convincatur; » adeoque, etc.

(108. Negativam vero sententiam tenent Sanchez, loco cit., disp. 55, a n. 5 ad 9; Layman, loco cit., n. 5 et 12; Sporer, loco cit., a n. 271 ad 273; Bosco, *Theolog. sacramental.*, part. vi, disp. 11, sect. 2, n. 122 et seq.; Coninch, disp. 23, dub. 7, a n. 56; Reiffenstuel, loco cit., a n. 246 ad 254; Pirrhing, loco cit., n. 61 et 62, et communior aliorum, adeo ut Layman, loco cit., n. 12; Pirrhing, loco cit., n. 62; Sporer, loco cit., n. 271, et alii testentur de communi. Et ratio est, quia delicta non sunt paria, sed turpior est fornicatio, et quælibet impudicitia admissa seu exercita a femina, quam a viro, multoque ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere. Arg. l. *Et si crimine* 12, cod. *ad legem Juliam*, De adulteriis et stupro, juncta Glossa, ib., litt. C et l. *Palam* 43, ff. *De ritu nuptiar.* Tum quia ratione fornicationis sponsæ, et non sponsi, sit incertum cuius sit futura proles. Nec refert, quod ex cit. c. *Intelleximus* 6, De adulteriis et stupro, vir non possit repudiare adulteram, si adulter sit, quia longe difficilior permittitur divortium, seu separatio matrimonii quoad tærum, quam dissolutio sponsalium, quæ ob quamvis notabilem rerum mutationem fieri potest, ut notant citati doctores, et alii.

(109. Limitant tamen recte citati doctores dictam sententiam in pluribus casibus, nempe in casu quo sponsus cum pluribus fornicationem commisisset, ita ut valde vitiosus in hoc cognosceretur, tunc enim etiam sponsa posset sponsalia dissolvere, quia merito timere posset ne minus se esset amaturus, aut ei fidem non servaturus.

(110. Item in casu quo ex unica fornicatione prolem haberet; quia tunc censeretur adesse in sponso notabilem mutationem sufficientem ad dissolutionem sponsalium, c. *Quemadmodum* 76, De iurejurando; et praesertim quia inde etiam redditur matrimonium difficilius ob debitam alimentacionem prolis, et plurimas discordias oriri solitas; unde in tali casu sponsa posset sponsalia dissolvere.

(111. Item si oscula, et tactus, et amplexus impudici exerciti a sponso sint valde frequentes, ita ut ex frequentia talium actuum post sponsalia a sponso cum alia exercitorum justum concipiat sponsa horrorem: tunc enim potest sponsa sponsalia dissolvere, arg. cap. *Quemadmodum* 25, De iurejurando, ubi habetur, quod in sponsalibus semper contineatur haec tacita conditio: « Nisi contra regulam desponsationis venerit; » contra quam regulam desponsationis clare veniret sponsus, frequenter cum alia, seu aliis oscula, tactus et amplexus impudicos exercens.

(112. Nono, dissolvuntur sponsalia per notabilem mutationem ex parte unius supervenientem post contracta sponsalia, quam si pars altera scivisset, aut praevidisset, sponsalia non contraxisset, sicque, jam contracta dissolvere potest. *Communis*, per textum in cit. cap. *Quemadmodum* 14, De iurejurando. II. Si sponsus cognoscatur esse valde deditus ebrietatibus, ludis, scortationibus, aut similibus gravibus vitiis. *Communis*, arg. cit. cap. *Quemadmodum* 25, De iurejurando. II. Si sponsus cognoscatur esse valde deditus ebrietatibus, ludis, scortationibus, aut similibus gravibus vitiis. *Communis*, arg. cit. cap. *Quemadmodum*. III. Si in sponso cognoscatur notabilis morum asperitas et saevitia. *Communis*. Saevitia enim mariti est sufficiens causa instituendi divortium matrimonii, textu expresso in cap. *Litteras* 13 in fine, De restitutione spoliatorum; ergo multo magis erit sufficiens causa dissolvendi sponsalia. IV. Si capitales et graves inimicitiae, odia et extraordinariae animorum aversiones oriantur inter ipsos sponso. *Communis*, arg. cap. *Præterea* 2, et cap. *Requisivit* 17, De sponsalibus. V. Si graves et capitales inimicitiae vel scandala ob id oriantur, seu rationabiliter timeantur

inter parentes aut consanguineos sponso- rum. *Communis*, argum. cap. *Cum in tua* 28, De sponsalibus, ibi: « De fama vel scandalo. » (114. Et a sponsalibus recedi posse propter indignationem parentum expresse censuit Rota, part. IV, recent., tom. I, dec. 669, n. 3; part. X, dec. 15, n. 56. Et sacra congr. Conc., in *Majoricen. Sponsalium* 24 Augusti 1713, expresse declaravit, quod in sponsalibus non est locus coactioni, accedente indignatione parentum, quae reputatur justa causa dissolutionis. Sic refert Ursaya, in *Miscellaneo 1 sacro et profano*, littera S, n. 217, et apud eundem, ibid., n. 205. Eadem sacra congr. Conc., in *Mediolanen. Sponsalium* 13 Julii 1724, expresse declaravit, quod dissolvuntur sponsalia per denegationem consensus patris ex justa causa se declarantis nolle filium matrimonium cum certa muliere contrahere.

(115. In bonis corporis, mutationes notabiles, et sufficientes ad dissolvenda sponsalia sunt sequentes. I. Si alteruter ex sponsis incidat in gravem morbum, paralysim, lepram, morbum epilepticum, morbum gallicum, aut alium contagiosum et incurabilem morbum. *Communis*, per text. in cit. cap. *Quemadmodum* 23, De iurejurando. II. Si oculum aut nasum, manum, pedem amittat. *Communis*, per textum in cit. cap. *Quemadmodum*. Et sponsalia dissolvi per claudicationem superventam sponsae declaravit sacra congr. Concil., in *Spole-tana Sponsalium* 22 Februar. 1698. III. Si unius os graviter male oleat, et medice curari non possit. Rota, part. IV, rec. tom. II, dec. 493, n. 74, et communis doctorum., arg. cit. cap. *Quemadmodum*: gravem enim et incurabilem oris fetorem tolerare in tam arcta corporum conjunctione nimis onerosum esset. IV. Si superveniat praesertim sponsae notabilis deformitas; si sponsa enim tempore sponsalium pulcherrima, evadat inde notabiliter deformis, potest sponsus a sponsalibus resilire, cum in materia matrimonii admodum aestimetur apud homines pulchritudo mulieris. *Communis*, arg. cit. c. *Quemadmodum*. In sponso tamen valde magna debet esse superveniens deformitas, ut sponsa propter illam possit a sponsalibus resilire, quia in viris non ita requiritur, nec tanti aestimatur pulchritudo, sicut in mulieribus, ut recte notant Pirrhing, loco cit., num. 64; Coninch., De sacrament., disp. 23, dub. 7, n. 66, et alii passim. V. Si superveniat sponsae sterilitas, aut sponso impotentia seu inhabilitas con-grediendi. *Communis*, arg. cit. cap. *Quemadmodum*. Ipsa enim est maxima notabilis superventa mutatio, cum matrimonium sit principaliter institutum ob generationem prolis, quae sperari non potest in casu superventae sponsae sterilitatis, aut sponso impotentiae, seu inhabilitatis con-grediendi.

(116. In bonis fortunae, mutationes notabiles, et sufficientes pro dissolvendis sponsalibus sunt sequentes. I. Si sponsa, aut parentes ejus, vel qui promiserunt, vel non possint, aut nolint dare dotem promissam.

Communis, textu expresso in cap. *De illis* 3, De conditionibus oppositis. II. Si uni ex sponsis superveniat gravis honorum ja-ctura, et ex honesto statu ad gravem ino-piam decidat, etiam sine sua culpa, v. gr. ob bella, incendia, furta et hujusmodi. *Communis*, arg. citat. c. *Quemadmodum*; in tali enim casu intervenit gravis et notabilis mutatio. III. Etiam si ambo sponsi post spon-salia ad gravem inopiam decidant ob dictas similes causas, nempe ob bella, incendia, furta, et hujusmodi; in tali enim casu po-dest quaelibet pars a sponsalibus resilire, quia dum ambo ex statu honestiori ad gra-vem inopiam incidunt, in ambobus contin-git notabilis et talis mutatio, ut ex ipsa mi-nus apti sint ad onera matrimonii susti-nenda. Castrop., De sponsal., disp. 1, punct. 28, n. 4; Spor., loco cit., n. 282; Reiffen-stuel, loco cit., n. 263; Tamburin., Bonacina, et alii magis communiter, arg. cit. cap. *Quemadmodum* 25, De iurejurando, et cap. *Per vestras* 7, De donationibus inter virum et uxorem. IV. Si uni ex sponsis commine-tur exhæredatio, vel ea rationabiliter timeatur, Rota, part. 4, rec., tom. I, dec. 669, n. 57, et communior doctorum. Non enim solum malum praesens, sed etiam rationa-bilis timor mali futuri, ac imminenti cau-sat notabilem rerum mutationem, arg. c. *Requisivit* 17, De sponsalibus, et consequen-ter sufficit ad dissolvenda sponsalia per text. in citato cap. *Quemadmodum*.

(117. An autem una parte remanente in suo statu, si pars altera ex inopinato fiat notabiliter ditior aut honestior, possit pro-pterea hæc ab illa resilire? variant doctores. Affirmativam enim sententiam tenent Hurtad., disp. 2, De matrim., dist. 25; Ami-cus, Hlsung, et alii apud Gobat, loco cit., n. 340, dicentes absolute posse talem resi-lire, quia mutatio illa in ipso facta causat inæqualitatem, qualis si fuisset ab initio, ipse utique non contraxisset; negativam autem defendunt absolute Sanch., lib. 1, disp. 59, n. 6; Guttier., De sponsalibus et matrim., cap. 38 n. 4; Castrop., De spon-salibus, disp. 1, punct. 28, n. 5; Coninch., disp. 23, dub. 8, n. 29; Reiffenstuel, loco cit., n. 262; Pirrhing, loco cit., n. 64; Busembaum, Reginal., Diana, Krimer, Kugler, et alii volentes non posse talem ob id a sponsalibus resilire, quia altera pars per hoc non est facta deterior, sed mansit qualis erat, adeoque privari non potest jure suo. Perez vero, disp. 9, sect. 22, cum distinctione procedit dicitque quod resilire possit, si iniens sponsalia habuit reflexio-nem ad æqualitatem divitiarum, vel bono-rum; æquata resilire non posse, si sine reflexione ad dicta contraxit propter aliam causam, quæ adhuc perseveret, v. gr. ob spe-cialem formositatem seu pulchritudinem, et hujusmodi; quæ opinio satis placet, quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, siquidem « Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum, » arg. l. *Nam omnis* 19, ff. *De rebus creditis*, si certum petatur, et de conditione, cap.

Cum olim 37, De præbendis, in his videlicet quæ dependent ab intentione agentium, uti sponsalia; et praesertim quia hæc ex parte convenit cum secunda negativa senten-tia.

(118. Decimo, dissolvuntur sponsalia per superveniens impedimentum dirimens, v. g. per affinitatem contractam ex copula car-nali habita post sponsalia cum consanguinea in primo vel secundo gradu alteri spon-sorum juncta. *Communis*. Stante enim im-pedimento dirimente, nec licite, nec valide contrahi potest matrimonium; conc. *Trid.*, sess. xxiv, De ref. matrim., c. 4, adeoque in tali casu sponsalia non obligant.

(119. Tenetur tamen qui tale impedimen-tum sua culpa posuit, impetrare a Papa dispensationem suis sumptibus, si pars innocens velit. *Communis*, arg. l. *Non frau-dantur* 134, § 1, ff. *De reg. juris*, ubi ex-pressè dicitur, quod nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest. Ne, ut habetur in c. *Intelleximus* 7, De judi-cis: « Ne videatur de malitia sua commo-dum reportare. » Nec pars innocens ad ali-quam tenetur expensam; quia ut expresse dicitur in c. *Cognoscentes* 2, De constitutio-nibus: « Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; nec debet aliquis alte-rius odio prægravari; » l. *Non debet* 74, ff. *De regulis juris*, et capit. *Non debet*, De regu-lis juris in 6, cum peccata suos debeant tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De penis*, cap. *Quæsit* 2, De his, quæ fiunt a majore parte capituli.

(120. Quando causa dissolvendi sponsalia est certa, per se loquendo, nulla de jure communi requiritur auctoritas judicis ad dissolvenda dicta sponsalia, sive publica, sive occulta. *Communis*. Nullibi enim in jure reperitur requisita ad id judicis aucto-ritas.

(121. Potest tamen judicis auctoritas ad id requiri interdum per accidens, ut si spon-salia sint publica et causa ea dissolvendi sit occulta: ratione scandali evitandi requi-ritur tunc judicis interventus, ut notant communiter doctores.

(122. Et quando sponsalia sunt certa, causa autem ea dissolvendi dubia, de jure, vel de facto, tunc necessario requiritur judicis auctoritas pro utroque foro. *Communi*. Et ratio est, quia cum unus sit in possessione sponsalium, non potest per alium ob causam dubiam privari: in pari enim causa potior est conditio possidentis, ut ex-pressè habetur in cap. *In pari* 65, De regul. juris in 6, et concordat c. *Quod autem* 5, De iurepatronatus, c. *Ad aures* 6, De præ-scription., l. *Nemo* 126, § 3, ff. *De regul. jur.*, et l. *In pari causa* 128, ff. eod., ubi expresse statuitur: quod in pari causa pos-sessor potior haberi debet. Unde cum nemo judex sit in propria causa, textu expresso in l. *Generali*, unic. cod. *Ne quis in sua causa judicet*, vel *jus sibi dicat*, necessa-rio in dicto casu requiritur auctoritas judi-cis.

(123. Judex in causis sponsalium et ma-